

265

263

269

259

274

254

314

214

364

164

Ende

Anfang

254

Cyclades adhuc vacuae cultoribus essent, Minos, Jovis et Europae filius, Cretensium rex, potens terra marique, in Cycladas classe abicit easque Cretensibus colonias fecit, et aliquas ex eis suo nomine vocavit, Rhodum autem primum invasit, quae utique optima et sanissima, in qua metropolitana civitas dicta Colon, a Colosso insigni idolo, et cives urbis Colocenses sunt dicti, ad quos S. Paulus apostolus personaliter non accessit, ut dicit Jeronymus in Prologo Colo, sed eis Archippum misit et dulcissimam epistolam quatuor capitulorum per manus Tychici et Onesimi acolythi misit. Ipse enim apostolus tunc in vinculis tenebatur dum eis scripsit, ut patet in fine epistolae. Videtur mihi, quod inter omnes Pauli epistolas Colossensem sit magis affectuosa et informativa et plana ad omnes et singulariter amicabilis, ut in salutationibus activis et passivis patet capitulo ultimo. Plurimum etiam commendat fidem eorum in primo capite.

Civitas illa Rhodiorum est antiquissima, in qua quondam philosophiae florebant studia, eo scilicet tempore, quo Atheniense viguit studium. Legitur enim, quod Aristippus philosophus, Socratis discipulus, naufragium in mari passus ad Rhodiensem littus fuit ejectus, et nudus civitatem ingressus gymnasium intravit, ubi cum plurima de philosophia disputaret, magnis muneribus fuit datus, unde hortabatur discipulos tales aggregare divitias, quae e naufragio una possent enatare.

Est autem haec civitas una ex parte mari (**162 a**) cincta et freto impetuoso juncta et profundo, altis vero montibus ab aliis partibus est circumamicta; unus mons altus dicitur Artiumuti, quod dictum tactum fuisse ab arca Noae, nescio a quo hoc habeant, nisi forte ex aliquo carmine poetico, quae et de diluvio Noae et de insulis multa cecinerunt. Alius mons dicitur Philermi, in quo beatae Virginis oratorium devotum existit. Per circuitum autem urbis, in locis ubi mare muros non tangit, sunt horti et viridaria et pomoeria, quae irrigantur ex cisternis ibi fossis.

Porro ipsa urbs adeo est munita, ut videatur esse inexpugnabilis, nam fossata per gyrum, ubi non adest mare, sunt profunda, per praeruptas petras inscissa, et ipse civitatis murus superpositus scopolis et rupibus est adeo spissus et altus et de ingentibus saxis compositus, quod inspiciens dubitat, an hominum

